

ex Augustino sumpserunt, qui in libris contra Pelagium et reliquias ejus illam tradidit, præsertimque hanc gratiam explicat lib. 1 ad Simplicianum, quæst. 2, et lib. 83 Quæstionum, quæst. 68, et toto libro de Gratia Christi; et lib. 2 de Peccat., ubi capite 18 dicit hominem converti ad Deum, nisi ipso excitante et adjuvante, non posse; et ubi ponit excitantem gratiam ut primam, et per illam dicit agi hominem a Spiritu Sancto, juxta illud ad Rom. 8: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, quod exponens serm. 13 de verb. Apostol.: *Aguntur, inquit, Spiritu illuminante, excitante et adjuvante, ut filii Dei fiant.*

7. *Ratione stabilitur assertio.* — Ratione declaratur hæc veritas, quia si comparemus gratiam actualem ad habitualement in adultis, prior ordine generationis est actualis, et nunc supponimus, quia habitualis non infunditur sine hominis dispositione, quæ dispositio per actus hominis fit; dispositio autem præcedit formam, vel ordine naturæ si sit proxima, vel temporis si sit remota, sicut regulariter et secundum communem legem in justificatione hominis fit; procedit enim ab imperfecto ad perfectum, et ideo dispositiones remotæ præcedunt etiam tempore habitualement gratiam. Ante dispositionem autem remotam, quæ in aliquo actu libero semper consistit, præcedere debet aliquod gratiæ auxilium, ut ita opus a Deo solo incipiat; ergo tale auxilium non est nisi excitans. Probatur hæc consequentia, quia auxilium adjuvans proprie sumptum, ut distinguitur ab excitante, non præcedit cooperationem liberam voluntatis ordine temporis, nec causalitatis, ut in sequentibus ostendemus; auxilium autem excitans utroque modo antecedit consensum liberum; ergo ab illo incipit motio divina in ordine gratiæ; ergo illa est prima gratia. Secundo, hoc ipsum declaratur, quia interna gratia excitans solum esse potest in intellectu aut voluntate, nam si quæ possunt esse in affectu sensitivo, nunc non considerantur, sed quasi externæ reputantur. Aut ergo loquimur de prima gratia simpliciter respectu totius mentis (ut sic dicam), vel de prima gratia respectu singularum potentiarum. Priori modo manifestum est primam gratiam actualem in intellectu recipi debere, quia est prior potentia, neque potest voluntas moveri nisi medio intellectu. Deinde in ipso intellectu, ut operari possit in aliquo ordine, necesse est ut præcedat aliqua excitatio, quia non potest judicare nisi apprehendat, nec potest apprehendere nisi ab alio motus, quia de se est in po-

tentia, quæ non potest se reducere in actum, nisi ab alio excitatus et adjutus, qui ordo etiam in naturalibus actionibus servatur. Ergo multo magis in supernaturalibus, ut intellectus possit ad propriam operationem supernaturalem elevari, necesse est ut supernaturalis excitatio in illo antecedit. Illa ergo est prima gratia respectu intellectus, et consequenter etiam respectu totius mentis, seu partis rationalis. Atque hoc modo Augustinus, libro de Prædestinatione Sanctorum, in principio, revocat totam gratiarum seriem ad sanctam cogitationem, quæ non potest esse a nobis, sed ex Deo, juxta illud Apostoli, 2 ad Corinth. 3: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid* (utique ad salutem pertinens) *a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et eandem doctrinam habet libro de Bono persever., cap. 19, et lib. 2 contra 2 Epistolas Pelagianor., cap. 8, et alibi frequenter, præsertim in dicta quæst. 2 ad Simplician. Ex hac igitur parte, sanctæ cogitationis excitatio prima gratia est; nam ante primam cogitationem est homo quasi dormiens, per cogitationem autem excitatur: respectu autem voluntatis, illamet excitatio intellectus dici potest prima etiam gratia voluntatis, quia licet subjective sit in intellectu, de se voluntatem allicit et attrahit. Tamen hæc non est prima gratia intrinseca, seu inhærens ipsi voluntati, et ideo in ipsamet voluntate distinguendus est tactus seu motus Spiritus Sancti a libero consensu, quæ duo, in dicto loco Apocalypsis 3, per verba pulsandi et aperiendi declarantur; prius autem est pulsare quam aperire; ergo et tactus cordis prior est quam liber consensus; ergo gratia excitans, per quam ille tactus fit, est prima inter gratias voluntatis. Quam vero sit necessaria hæc gratia et quod sit munus ejus, postea videbimus. Ad rationes dubitandi in principio positas, in sequenti capite commodius respondebimus; duas enim quæstiones postulant quas ibi tractabimus.

CAPUT III.

UTRUM GRATIA EXCITANS SIT ACTUS VITALIS HOMINIS.

1. *Prima opinio docet primam gratiam excitantem non esse actum vitalem, sed principium ejus.* — Duas opiniones ad hoc punctum pertinentes invenio, quæ in uno principio conveniunt, in assertionibus autem multum differunt. Prima opinio dicit primam gratiam

excitantem non esse actum vitalem, sed quamdam priorem gratiam, quæ sit principium actus vitalis. Fundamenta hujus opinionis sunt duo, tacta in rationibus positæ capite præcedenti in principio. Primum est, quia prima gratia præveniens debet fieri a solo Deo, in nobis, id est, non concurrentibus, nec moraliter nec physice illam efficiendo; ergo non potest esse actus vitalis. Secundum est, quia actus vitalis, qui est per se actus gratiæ, est actus supernaturalis; ergo ut a nobis fiat, necessario supponit aliam gratiam, quæ det nobis vires ad efficiendum talem actum, quia non potest fieri per solas vires naturæ; ergo prima gratia excitans non potest esse actus vitalis. Non negat autem hæc opinio quin aliæ excitantes gratiæ, quæ post primam sequuntur, possint esse actus vitales, vel necessarij, vel interdum etiam liberi.

2. *Opinio secunda, gratiam excitantem esse actum vitalem quidem, sed qui fit a solo Deo.* — Altera opinio est gratiam excitantem, etiam primam, esse actum vitalem, et nihilominus non fieri a nobis effective, sed a solo Deo. Prioris partis fundamenta postea videbimus: posterior autem fundatur in illo principio, in quo hæc sententia convenit cum præcedenti, quod Deus has prævenientes gratias facit in nobis sine nobis; nam ex illo colligit hæc opinio talem gratiam, etiamsi actus vitalis sit, non fieri a nobis. Antecedens probatur testimonio Concilii Arausiacani supra adducto, multa esse in homine bona, quæ non facit homo, quod præcipue dictum videtur propter gratias excitantes, ut ex Augustino, a quo sumpta illa sententia, intelligi potest, libro 2 contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 8. Et sic etiam Bernardus, libr. de Grat. et libero arbit., circa finem, dicit *Deum solum operari in nobis exordium salutis, non per nos, neque nobiscum.* Et ibidem adjungit gratiam excitare liberum arbitrium, dum seminat cogitatum. Et eodem modo loquitur Anselmus, circa id, 2 ad Cor. 13: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* *Superna* (inquit) *pietas aliquid agit in nobis sine nobis, ut subsequente libero arbitrio bonum quod appetimus agat nobiscum.* Et eodem modo loquitur Gregor., cap. 10, alias 11. Consequentia vero probatur, quia non repugnat cogitationem aut motum vitalem fieri a Deo in nobis sine nobis physice etiam concurrentibus; ergo ita exponendæ sunt dictæ locutiones Patrum, ut cum omni proprietate intelligantur.

3. *Assertio prima pro vera sententia: gratia excitans prima est actus vitalis intellectus aut*

voluntatis. — *Firmatur auctoritate.* — Nihilominus communis et vera sententia duabus assertionibus continetur. Prior est, gratiam excitantem, etiam primam, esse actum vitalem intellectus vel voluntatis; ita sentiunt omnes auctores infra referendi, et probatur ex dictis in præcedenti capite, ubi ostensum est primam gratiam esse excitantem, eamque in illuminatione et inspiratione consistere. At illuminatio et inspiratio actus vitales sunt, ut est per se notum; ergo prima gratia excitans actus vitalis est. Simile argumentum est, quod ex vocatione et initio justificationis sumitur: nam vocatio est justificationis initium, ac subinde prima gratia excitans; sed vocatio Dei interna, ut in nobis fit et recipitur, non est sine aliqua actione vitali, imo in illa consistit; ergo prima etiam gratia excitans vitalis actio est. Major satis probata est supra ex verbis Concilii Trident., sess. 6, cap. 5: *Declarat justificationis exordium in adultis, et ab ejus vocatione esse sumendum*, quam vocationem statim explicat per gratiam excitantem. Idemque tradit Augustinus citatis locis, ideoque in dicto libro 83 Quæstionum, quæst. 68, dixit: *Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non tamen potest sibi tribuere quod vocatus sit*, quia nimirum a vocatione sumitur initium. Minor item propositio ex eisdem locis probatur; nam vocatio Dei interna nihil aliud est quam illustratio quædam mentis et inspiratio qua Spiritus Sanctus potentias nostras ad bene operandum erigit et inflammat; ut idem Concilium significavit, dicens Deum, vocando hominem, tangere cor ejus per Spiritus Sancti illuminationem, quam statim etiam inspirationem vocat. Et eodem modo loquitur Augustinus, qui etiam sæpe hanc vocationem explicat per sanctam cogitationem, vel sanctum desiderium, seu boni cupiditatem, ut loquitur libro 2 contra duas Epistol. Pelagian., cap. 8, vel per illuminationem intellectus, vel voluntatis delectationem aut suavitatem, ut libro 2 de Peccat. merit., cap. 17. Hæc autem omnia in vitalibus actibus consistunt, ut per se patet. Ergo prima gratia excitans, actus vitalis est.

4. *Ratione roboratur.* — Denique potest ratione ita declarari, quia divina vocatio interior a locutione Dei in nobis non est nisi aliqua cogitatio vel conceptus mentis nobis a Deo immisus, quia, licet locutio sit a Deo loquente, ut percipiatur a creatura, in illa recipi debet, ut recte docuit Gregor., lib. 2 Moral., cap. 4, alias 5, ubi ait *loqui Deum ad Angelos, eo ipso quod eorum cordibus occulta sua invisibilia*

ostendit; et infra: *Quasi audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur.* Et infra, eodem modo explicat locutionem Dei ad animas sanctas per infusionem alicujus cognitionis vel affectus; sic ergo vocatio interior Spiritus Sancti est illa locutio Dei, de qua ipse dixit: *Ducam eam ad solitudinem, et loquar ei ad cor*: ergo talis vocatio fit per actum vitalem nobis immisum. Et confirmatur, quia nisi homo perciperet locutionem Dei in se, non posset ab illo excitari ut attenderet: locutio autem Dei fit, ut homo excitetur et attendat; ergo necesse est ut fiat per aliquem actum vitæ, quo homo aliquid percipiat, et ex vi illius aliquid etiam appetat, vel fugiat, aut timeat. Declaratur præterea: quidquid a Deo infunditur, præter actionem vitalem, potest infundi vel parvulo, vel homini dormienti; quid enim repugnat? Vocatio autem divina et gratia excitans est propria adultorum, ut Concilium Tridentinum supra non obscure advertit, daturque illis ut quasi a somno excitentur, et vigilent, juxta illud Ephes. 5: *Excurge qui dormis, etc.*, et ideo non habet locum nisi in adultis et qui ratione uti possunt: datur ergo per modum actus secundi, nam quamdiu potentia est tantum in actu primo, est quasi dormiens, ut Aristoteles dixit in libr. 2 de Anima. Denique confirmatur, quia propter hanc rationem hæc gratia excitans est tantum actualis, id est, solum in homine durans, quamdiu actu vitaliter operatur. Omnis enim gratia realiter distincta ab operatione vitali potest, quantum est ex se, permanere, etiamsi potentia vitaliter non operetur, ut respondendo ad fundamenta prioris sententiæ mox dicemus, ex qua responsione magis hæc assertio confirmabitur.

5. *Assertio secunda.* — *Ad gratiam excitantem concurrunt vitaliter et effective potentiæ animæ.* — Dico secundo, gratia excitans non fit in nobis sine efficientia vitali et physica potentiæ animæ; ita tenet Soto, libr. 1 de Natur. et gratia, cap. 16; et Medina, 1. 2, quæst. 111, art. 2 ad argumenta, versic. *Sed et illud annotatione dignum*; Bellarmin., libr. 6 de liber. Arbitr., cap. 25, proposit. 6; Gabriel Vasquez, disput. 185, cap. 3. num. 11, et cap. 9, num. 35; et Valent., disp. 8, quæst. 3, puncto 3, § *Sed arbitror*; et a cæteris modernis Theologis hæc sententia communiter recipitur. Ratio autem sufficiens est, quia, juxta veriore doctrinam, ita est intrinsicum actui vitali, danti suum effectum formalem potentiæ in qua manet, quod effective ab ea prodeat tanquam ab intrinseco principio vitæ, ut om-

nino repugnet hujusmodi potentiam cognoscere aut amare per actum quem non elicit, ut nunc ex philosophia suppono, et ex 1. 2, q. 3 et 9; sed per hos actus gratiæ excitantis homo ita movetur, ut aliquid cognoscat, amet, timeat, delectetur; ergo non possunt fieri sine concursu vitali potentiæ. Unde licet daremus de potentia absoluta posse actum vitalem aliter fieri, non posse sine extraordinario miraculo, et præter naturam talium actuum, nihilominus certum est; supervacaneum autem est tale miraculum fingere, quia neque experientia illud inducit, nam potius experimur ita nos præveniri et moveri in his actibus, sicut in aliis motibus indeliberatis, quos sine dubio potentiæ nostræ eliciunt; neque ratione subsistit, quia miraculum illud nec ad gratiam vel ad meritum confert, neque e converso physicus ille concursus potentiæ aliquid obest veritati gratiæ omnino gratiæ, cum illa efficientia non sit libera, ut capite sequenti ostendemus. Nec denique tale miraculum revelatum est, aut aliqua auctoritate vere aut legitime fundatur, ut respondendo ad argumenta manifestum fiet.

6. *Ad Concilium Arausicanum supra num. 2.* — *Vera mens Patrum.* — *Illud proprie homo dicitur operari quod humano modo operatur.* — Ad fundamentum in quo contrariæ opiniones conveniunt, respondemus imprimis sententiam illam generalem Augustini et Concilii Arausicani: *Mulla sunt in homine bona que non facit homo*, etiamsi ita exponi permittamus ut omnem efficientiam physicam ex parte hominis excludat, sufficienter verificari quoad supernaturalia dona gratiæ, in virtutibus per se infusis et Spiritus Sancti donis, et habituali gratia sanctificante. Deinde magis ad mentem Patrum respondetur, per illa et similia verba solum excludi liberam hominis cooperationem; sic enim, ut infra videbimus, distinguit Augustinus gratiam quam Deus in nobis sine nobis operatur, a gratia qua nobiscum cooperatur. Nam huic posteriori nos libere cooperamur, priori autem minime; quia ergo gratia excitans in nobis fit sine cooperatione libera nostra, ideo dicitur fieri in nobis sine nobis, etiamsi non fiat sine efficientia necessaria nostrarum potentiæ; hoc enim referebat ad confutandos Semipelagianos, ut ab Augustino vel aliis Patribus negaretur. Potestque hic modus loquendi explicari ex Paulo ad Roman. 7, ubi de naturali et inordinato motu concupiscentiæ prius dicit: *Quod odi malum, hoc facio.* Et postea, quasi declarans verbum

facio, addit: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Nam motus concupiscentiæ licet involuntarius sit, nihilominus fomes seu appetitus verè ac physice facit et operatur illum, et nihilominus ipse homo dicitur non operari illum, quia non libere neque humano modo illum operatur, nec illi consentit. Illud enim proprie dicitur homo operari quod humano modo operatur; nam operatio humana illa est quæ ex perfecto usu rationis et voluntatis procedit, ut docuit D. Thomas 1. 2, quæst. 1, art. 1; et ideo tunc proprie dicitur homo ut homo operari, quando libero et morali modo operatur. Et hic modus loquendi maxime locum habet, quando sermo est de actionibus ad salutem pertinentibus, ut est in præsentia. Unde potest hoc etiam declarari ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 4, ubi damnat negantes hominis liberum arbitrium cooperari excitanti gratiæ; intentio autem ejus fuit cooperationem liberam definire, ut postea aperte declarat, et nihilominus simpliciter et sine addito cooperari dixit, quia videlicet non est proprie et simpliciter hominis operatio, nisi quæ libera est. Atque eo modo antiqua Concilia et Patres, cum dicunt gratiam non excludere cooperationem hominis post Dei vocationem, de libera cooperatione loquuntur. Et eodem sensu dixit Augustinus: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.*

7. *Ad primum fundamentum primæ sententiæ.* — *Ad locum Psalmi.* — Juxta hanc ergo doctrinam ad primum fundamentum primæ sententiæ, et ad omnia testimonia quæ Vega adducit, respondemus distinguendo propositionem assumptam, scilicet, primam gratiam fieri a solo Deo; est enim vera, si particula *solum* excludat hominis consensum, vel etiam si excludat omne meritum, quod maxime Augustinus intendit; non tamen esse veram, si excludat omnem physicam efficientiam intellectus vel voluntatis, nisi fortasse sumatur actus ille, qui est prima gratia, secundum peculiarem respectum, seu inadæquatam conceptum, ut statim declarabo. Ad illud autem testimonium Psalmi præcedenti capite propositum: *Auxilium meum a Domino qui fecit cælum et terram*, respondetur primo auxilium illud, etiam primum, absolute dici esse a solo Deo, quia ipse principaliter efficit illum actum, utiturque nostra facultate tanquam instrumento ad illum efficiendum. Unde quia solus Deus potest illo modo efficere in nobis talem actum, et movere potentiam ut illum efficiat, etiam dici potest tale auxilium

esse a solo Deo, nam tunc etiam particula *solum* non excludit physicam efficientiam instrumentalem proximæ facultatis. Quod maxime est loquendo de illo actu sub nomine auxilii; nam ille actus habet duplicem respectum, unum ad causam principalem, quæ est Deus, alium ad causam proximam instrumentalem, quæ est potentia; sub priori tamen habitudine habet rationem auxilii, quod proinde soli Deo merito tribuitur; actus vero ipse ita fit a solo Deo, ut ab illo solo habeat initium, et ipse solus sit principalis causa physica ejus, moralis autem unica; et ita ex parte hominis excluditur omne meritum vel libera cooperatio, non vero physicus concursus potentiæ ad actum vitalem necessarius.

8. *Ad locum Apocalypsis.* — *Eadem operatio prout a Deo fit est pulsus; prout fit et recipitur in intellectu, est auditus.* — Ad locum autem Apocalypsis. 3: *Ecce sto ad ostium et pulso*, respondetur imprimis tactum Dei in corde altioris rationis esse, quam sit pulsus materialis januæ, nam pulsus Dei internus fit per voces internarum inspirationum, ac proinde per actus vitales: pulsus enim debet esse accommodatus rei quæ pulsatur, et ideo longe aliter pulsatur cor vivens, quam inanimata janua. Deinde cum ibi adjungitur: *Si quis audierit vocem meam*, clarum est illam vocem Dei in corde non esse nisi conceptionem aliquam mentis, ut supra explicavi. Dicit autem solet quis audire vocem Dei internam, vel quando ita illam audit ut ei etiam obediat, quomodo potest intelligi illud Psalmi 84: *Audiam quid loquatur in me Dominus*; vel quando percipit ipsam inspirationem Dei, etiamsi illi resistat, quomodo potest intelligi illud Psalmi 94: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*: utroque ergo modo potest hoc verbum in prædicto loco sumi, et in priori Deus tangit cor per inspirationem, homo autem audit per consensum, et ita non procedit objectio. In posteriori autem sensu, qui videtur satis consentaneus contextui, nam dicitur: *Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam*, id est, cor, quod per consensum aperitur, *audire* videtur poni tanquam quid prævium ad consensum. Et in hac significatione, *audire* nihil aliud est quam percipere inspirationem divinam, seu sentire factum ejus. Atque hoc modo si loquamur de inspiratione vel illuminatione prout est in intellectu, optime fieri potest ut eademmet operatio, prout a Deo fit, sit pulsus Dei in corde; prout vero fit et recipitur in intellectu, sit auditus

ejusdem inspirationis, ita enim fieri facile potest in locutione pure mentali. Neque in hoc comparandus est materialis pulsus cum spirituali, quia materialis pulsus solum objective immutat sensum, et media specie efficit auditum: pulsus autem divinus mere internus, si intellectualis sit, immediate ac formaliter efficit intellectum, et reddit illum attendentem, et aliquid apprehendentem vel intelligentem, et ideo eodem actu percipit intellectus eandem Dei locutionem, quatenus perceptio mentis in se virtualiter reflectitur: nam qui aliquid denuo apprehendit, simul virtute concipit quod aliquid apprehendat et consequenter quod ab aliquo excitetur et moveatur. Si autem inspiratio sit in voluntate, talis motus non percipitur nisi per intellectum, atque ideo per alium actum ex priori naturaliter resultantem, et ita ibi clarius distinguitur pulsus ab auditu.

CAPUT IV.

ALIIS FUNDAMENTIS PRIMÆ SENTENTIÆ SATISFIT, ET QUOD SIT PRINCIPIUM PROXIMUM EFFICIENS GRATIÆ EXCITANTIS INQUIRITUR.

1. *Dubium incidens, quæ causa proxima concurrat cum potentiis vitalibus ad actus gratiæ excitantis.* — Alia fundamenta primæ sententiæ petunt dubium, si actus gratiæ excitantis effective fiunt a nostris potentiis, qua virtute proxime, vel quo adjutore proximo illos efficiant; supponimus enim nunc illos actus esse supernaturales, et ideo non posse a sola naturali potentia virtute sua elici; propter hanc enim rationem præcipue moti sunt dicti auctores ad dicendum infundi nobis aliam gratiam priorem his actibus, quæ sit principium illorum, quam volunt esse rem creatam et in hærentem potentiæ, reipsa distinctam ab actu gratiæ excitantis, et principium ejus, quam alii vocant motionem virtuosam puram, ita ut qualitas non sit; alii dicunt esse qualitatem actualem seu transeuntem in nobis receptam, et nullo modo a nobis factam.

2. *Assertio.* — *Solus Spiritus Sanctus immediate per seipsum elevat potentias ad eliciendos tales actus gratiæ excitantis.* — *Probatum primo ex auctoritate.* — Ego vero censeo nullam talem entitatem infundi, quæ sit prior, tempore vel natura, ipso actu gratiæ excitantis, vel principium proximum ejus, sed solum Spiritum Sanctum immediate ac per seipsum

infundere hos actus elevando potentiam ad conficiendum illos. Probatum primo ex his quæ diximus, nimirum gratiam excitantem esse primam quæ nobis infunditur, ut Patres et Concilia docent. Dicent fortasse sub hac excitante gratia includere Concilia illam priorem gratiam, quæ ad eliciendam inspirationem infunditur. Sed qui sic respondet, ostendere hoc debet ex ipsis Conciliis aut Patribus, in illis enim nullum vestigium talis gratiæ invenimus; quin potius ipsam inspirationem ponunt ut gratiam primam, et præterea indicant immediate infundi ab ipso Spiritu Sancto, et non mediante alia qualitate. Unde Concilium Arausicanum, canon. 4, de hujusmodi inspiratione ait fieri in nobis per Sancti Spiritus infusionem et operationem, et per hanc dicit præparari voluntatem a Domino, et cap. 6, similiter vocat inspirationem et infusionem Sancti Spiritus, et eodem modo loquitur Concilium Tridentinum. Unde etiam communiter Theologi antiqui non docuerunt infundi nobis aliquod donum gratiæ per modum actus primi, præter habitus infusos. Certum est enim, ad eliciendum actum gratiæ excitantis non infundi habitum, nullus enim supernaturalis habitus infunditur adulto, nisi prævio consensu libero, tanquam necessaria dispositione, ut infra dicitur; ergo talis gratia quæ sit prior actu secundo, et principium ejus, et non habitus, non habet fundamentum in aliqua doctrina Patrum aut Theologorum.

3. *Secundo, ratione impugnando duos modos quibus hæc gratia potest explicari.* — Deinde ratione impugnatur tale genus gratiæ, expendendo dictos duos modos explicandi hanc gratiam: prior dicit esse spiritualem quamdam et supernaturalem motionem virtuosam, quæ est res distincta ab actu vitali, et a solo Deo immissa, et non est qualitas vel formaliter, vel realiter, sed pura tantum motio virtuosa, per quam Deus dat virtutem potentiæ, vel elevat illam ad hos actus efficiendos. Hic vero dicendi modus supponit hanc motionem constituere potentiam in actu primo ad hos actus eliciendos, et nihilominus ait non esse qualitatem, sed puram motionem, quod gratis dictum videtur, nam in potentiis animæ formæ constituentes illas in actu primo sunt qualitates, ut in sensibus externis et internis videre licet, præterquam quod, generaliter loquendo, secundum Philosophorum principia, non intelligimus qualis sit motio quæ tantum sit motio, et non sit qualitas nec res alterius prædicamenti, cum non possit intelligi motio,

quin ad aliquem terminum intrinsecum tendat: in motione autem spirituali non potest intelligi terminus actionis vel motionis, nisi qualitas; omitto enim locum, aut ubi qualecumque illud sit, quod in rebus spiritualibus esse potest, quia in præsentem considerationem venire non potest: si ergo motio illa nullam qualitatem infundit intellectui aut voluntati, non habet intrinsecum terminum qui per illam fiat; quomodo ergo est pura motio, vel ad quid movet? Eo vel maxime quod talis motio, si ponitur per modum actionis, est actio transiens, nam est ab agente Deo, et recipitur in passo. Non solent autem dicti auctores actionem transeuntem in Deo concedere, neque scio auctorem aliquem actionem transeuntem sine termino hactenus posuisse. Vel illa motio est tantum per modum passionis, et sic concipi non potest nisi per modum viæ, ac proinde per modum tendentiæ ad aliquem terminum: nam si nec est via, nec tendentia, erit profecto entitas aliqua facta a Deo in tali potentia solum per modum effectus. Oportebit ergo ut sit qualitas, alioqui extra omnia prædicamenta vagabitur, ut facile patebit discurrerenti per singula: id autem concedere philosophicum non est, neque etiam est quod Theologiæ attribuamus quod nos cogat, contra principia philosophiæ, hujusmodi entitates introducere.

4. *Aliud incommodum contrariæ sententiæ.* — Alia enim difficultas in illa sententia occurrit, quia defensores ejus, ad omnem actionem causæ secundæ, alias in actu primo plenissimo constitutæ, requirunt similem rationem virtuosam præviam, ut infra videbimus. Unde etiam asserunt quod, licet potentia sit instructa et elevata per habitum infusum, indiget illa motione virtuosa primæ causæ, ut possit actum infusum elicere; ergo signum est illam motionem non postulari tunc ut principium proximum efficiendi actum infusum, nam habitus est hujusmodi principium sufficiens; ergo, etiam respectu actuum gratiæ excitantis, illa motio (si detur) non est principium proximum, ex parte causæ secundæ; sed pertinebit tantum ad concursum universalem primæ causæ. Unde ulterius sequitur etiam, juxta illam sententiam, illos actus elici a potentia nuda sine alio actu primo supernaturali ipsi in hærente, qui cum illa sit principium proximum actus gratiæ excitantis; quia illa motio virtuosa per se sola non supplet vicem habitus quando ille deest, alias superflue daretur simul cum habitu.

5. *Præcluditur evasio duplex.* — Duobus modis respondere possunt: unus est, ad hos actus supernaturales, qui sine habitibus fiunt, dari duas motiones virtuosas, unam, quæ sit proprius actus primus, et suppleat vicem habitus. Alius est, dari unam quæ utramque vim eminenter habeat. Priorem modum in dictis auctoribus non invenio, nec videtur certe verisimilis tot gratiarum seu occultarum motionum multiplicatio, quæ neque probari nec satis intelligi possunt, præterquam quod frustra fit per plura, quod per unum fieri potest; cur enim non poterit? Vel si duæ motiones postulantur, cur non plures etiam sine certo termino postulari poterunt? Alium ergo modum dicti auctores eligunt, a quibus nunc ulterius interrogamus an illa motio sit ejusdem rationis, quando datur ad operandum, tam ex habitu, quam sine illo; an vero sit diversæ rationis. Hoc posterius non videtur verisimile, quia motiones illæ supponuntur tendere ad actus et quasi terminos ejusdem rationis: motiones autem sumunt speciem a terminis; cur ergo erunt illæ diversæ rationis? Nam quod is cui datur quælibet illarum habeat vel non habeat habitum, valde accidentarium est, et in hoc etiam distinctiones multiplicare sine alia ratione vel explicatione philosophicum non est.

6. *Illæ motiones nequeunt esse ejusdem rationis.* — Unde illimet auctores priorem partem eligunt, dicentes motiones illas esse ejusdem rationis. Ex quo necesse est sequi, ut vel illa motio data potentiæ non habenti habitum, non suppleat vicem habitus, nec constituat potentiam in actu primo, nec compleat illam in ratione causæ proximæ, sed solum sit concursus causæ primæ, quod destruit sententiam illorum et nostram confirmat; vel certe oportebit dicere eum qui operatur ex habitu infuso, recipere duos actus primos, habitum scilicet, et motionem. Sequela patet, quia illa motio data potentiæ non habenti habitum, formaliter constituit illam in actu primo; ergo etiam data potentiæ habenti habitum dabit eundem effectum, quia neque habitus præexistens formalem effectum motionis impedire potest, neque forma potest esse in potentia, quin illi suum effectum formalem conierat. Habet ergo illa potentia duos actus primos, duasque virtutes activas proximas ad eundem actum, quod superfluum est.

7. *Supradictas motiones non esse ejusdem rationis amplius probatur.* — Præterea, ex illo duplici actu primo, major prodiret ac-